Scribam iuncti super eo articulo, an Scholares Soc. Jesu et Collegia ipsa dicantur uere, ac proprie, et non per fictionem iuris nomine mendicantium in casu, et ad effectum de quo agitur; Vt constet id fuisse illis, tanquam proprium et non tanquam fictitium, et similitudinarium attributum a Pio V°. Summo Pont. const. 131 ut uere sonant uerba illius Pontificiae constitutionis, quae cum emanauerit motu proprio, et ex certa scientia, et cum Pontifex habeat omnia iura in scrinio pectoris, non potest dici erratum circa hoc: maxime ex qui clausula sublata, et decreto irritanti.

Ne autem longior sim repetendo ab alijs allegata omittam auctoritates tam doctorum Societatis, cum exterorum, qui asserunt, omnes personas, et Collegia Societatis esse uere et proprie mendicantia, ut probe tam allatis à DD. Aduocatis, item in alijs conclusionibus quas prae DD. Aduocati confirmarunt pluribus iuris, earum citationibus, neminem citare curabo. Et quoniam id praecipue mihi demandatur, ut ostendam esse in Societ. ueram illam mendicitatem, de qua loquuntur Theologi utar praesertim auctoritate Magnorum Eccl. DD. S. Thomae, et S. Bonauenturae, qui praecipuas mendicantium familias illustrarunt producendo eorum dicta in illis operibus in quibus ex professo propugnarunt Religiones mendicantes ab oppositionibus quorundam Parisiensium, qui earum institutum contendebant esse uirtuti contrarium

Et p.° Suppono mendicantium nomen, eiusque significationem haberi praesertim in Concilio Lugdunensi sub Greg.° X.° cap. Vnico § confirmatos de Religiosis dom. in 6.° l. 161 — Quibus ad congruam sustentationem redditus, aut possessiones habere professio, siue regula quaelibet interdicunt, sed per quaestum

publicum tribuere uictum sibi et incerta mendicita

hoc quibus verbis colligunt DD. allegati per Sanchez lib. 6. super decal. cap. 7. nº 113. non esse men dicantes qui actu mendicant, sed quibus ex regula vel professione vetitum est habere certos reditus, et possessiones et in communi

Immo et si neque actu neque ex reg. haberent mendicandi obligationem, dummodo non habeant certos reditus, et possessiones in communi sufficientes ad congruam sustentationem adhuc sunt mendicantes. Id euidenter constat ex Religº. D. Franci. quam à sua institutione mendicantem, nemo negabit et tamen S. Bonauª in apolª pauperum adversus Gyraldum. de Abbatis Villa in 2ª partic.ª 4.ª responsionis artº 2º post multa de maiori perfectione laborantium quam eleemosinariorum haec habet ex quibus habetur quod si quis ad paupertatem et exercitio studij spiritalis labori manuum intendens se ipsum, et alios possit irritare effectus. Apostoli super fonte maioris supererogationis quam qui ab alijs subsidia requirit, et accipit, et ideo perfectionis omni amator Franciscus ad laborem manualem sectatores suos et filios moderate, ac prudenter inuitauit, dum sic eos informat, quod sic laborent quod rejiciunt otium, et spiritus non extinguunt, sed quod quemquam sibi perfectum universali praecepto astringere, noluit ex quibus constat verba illa d. cap. Vnici per quod tam publicum significare statum mendicitatis demonstrative, non taxative demonstrando scilicet id quod mendicantes faciunt de facto, non quod sit de essentia talis status. Mendicus enim est qui non habet de suo unde uiuat sed, ut ait Isidº. ethimª. lib.º 10. quem refert Bonauentura in dª. apologª. responsione 4ª parte 3ª artº 2º. Mendicus dictus est quasi minus habens unde degat

[illegible]

Suppono 2° ad essentiam mendicantium non requiri carentiam omnium planè possessionum in communi. Nam in eo q. habetur de quibusdam mendicantibus quod denuo do:minium vel aliquem locum acquirere nec Domos, seu loca, quae habent alienare valeant sine Sedis Apostolicae licentia speciali. Nos enim ea dispositioni Sedis Ap. reservamus, ut in terrae sanctae subsidium vel pauperum, vel alios pios usus, de aere seu proventu quae ex Domorum, vel locorum acquisitio, aut ipsorum caeterorum bonorum alienatio valeat. Ubi ad dicta vero: Loca adverterit id intelligi de locis profanis, nam de aliis non erat dubium, quin alienari possent, et verb. caeterorum revocat in dubium an ergo ad. verbo illo est illis interdicta alienatio duntaxat immobilium an et mobilium. Et concordat Spec. ibi in praed. verbo; qui et supponit comprehendi nomine mendicantium eos qui habent aliquos redditus et possessiones, dummodo non habeant ex regula ut debeant acquirere bona sufficientia ad congruam sustentationem ut postea non amplius mendicent.

3. Suppono non esse contra rationem mendicantis habere certitudinem de congrua sustent.e pro aliquo tempore praeterito si non habent ius ad illam. Nam si e.g. aliquis legasset pro uno vel duobus annis tantas eleemosynas pro aliquo Conventu Mendicantium ut per illas sustentari possent toties Conventus, adhuc retinerent in fratribus ibi degentibus essentia mendicantium, hoc est incerta mendicitas, tum quia ad nutum superioris possent amandari ex illo Conventu in alium, ubi tenerentur mendicare, tum quia illi certi redditus pro eo tempore non mutarent statum, et incertitudinem, atque obligationem mendicandi pro tota vita. Unde et pulchrè advertit S. Thomas agens de hac ista materia opusculo 18. de perfectione vitae spiritualis c. 15. ad statum duo requiruntur

obligatio, et per perpetuitas utraq. aut remaneret in
Collegiis [illegible] conveniens.

His positis, agere debeo de Societate, esse vere et proprie mendicantes. Ipsi enim habent tam ipsi quam alii omnes de Societate ex Constitutionibus 6. p. cap. 2. § 10. parati sunt ad mendicandum ostiatim quando vel necessitas, vel obedientia id exigent. Ergo habent obligationem praedictam, et subiacent incertitudini huius necessitatis.

Praeterea, idem habent ex voto, adeo ut ingressuro vel classem professorum, vel eorum qui vocantur Coadiut. formati, prout Societas iudicaverit. Utrique autem hi sunt bonorum incapaces, et debent permanere habitantes in domibus professis, vel degere in missionibus, atq. e mendicato vivere. Et hic status est permanens Societatis ad quem omnes de Societate veniunt, et in eo sistunt per totam vitam. Ergo habent obligationem ex voto perpetuam ad carendum redditibus pro congrua sustentatione, et quaerendum sibi victum ex incerta mendicitate.

Non obstat 1º id quod obiicitur ex 1º nimirum, eos pro illo statu Collegiorum non vivere in tali mendicitate, nec proinde pro tali statu esse mendicantes.

Nam respondeo 1º quod ut diximus ille non est status caducus, et transitus, tum quia non possunt in ea conditione permanere, tum quia ad nutum superioris possunt inde avocari. Status vero importat quam perpetuitatem, ut sup. diximus ex S. Thoma. Quo posito, adhuc dum versantur in Collegiis, sunt mendicantes, quia mendicitas mendicantis pertinet ad statum, et non ad actum. Quod adeo verum est ut si illi quibus vetitum erat habere bona ad congruam sustentationem, detinuissent

uel

vel lllicite et alia bona adhuc ~~haberet~~ vere mendicam
dis, ut docet Sanchez lib. 6. ~~de~~ in decal. l. c. 7. nº 21.
et ex alia parte non comprehenderentur, qui sine
obligatione actu mendicarent, ut docet idem nº 113.
cum alijs quos citat. Cuius rei causa est, quam
indicavimus ex S. Thoma d. opusculo de perfectione
vitae spiritualis c. 15 ubi concludit quosdam
perfectos eē, qui statum perfectionis non habent
aliquos vero statum perfectionis habere sed perfe-
ctos non eē. Quamvis q. scholares Societatis sint adhuc
in via quoad hunc, vel illum gradum in Societate
habendum, sunt tamen in statu quoad obligationem
perpetuae mendicitatis, sicut sunt in statu quoad
substantiam Religionis.

Respond. 2º et clarius scholares neque pro eo statu tem-
poris habere redditus, et possessiones ad congruam
sustentationem, quia vel agimus de bonis patrimoni-
libus quibus aliqui eorum adhuc non renunciarunt, et haec
ipsi non habent ad congruam sustentationem quia ex illis
ne obitum quidem convertunt, aut possunt convertere
in sustentationem propriam, nec disponere ex voluntate
superioris, et tenentur ad eius nutum illa omnia dimittere
sicut secundum regulas saltem post biennium ab ingressu
suo, vel ante ad superioris arbitrium debent compelli ad
dimittendum, et haec tertio cur bonis definierint Summi
Pontifices eos non obstante hac dominij retentione, quaevis
non est in communi, sed in particulari et sic vera perfecta pauper-
tas pugnaret non tamen pugnaret cum essentia mendi-
citatis, quae est paupertas in communi, quam vera essentia
Religionis, quae requirit paupertatem in particulari)
eē vere, et proprie religiosos, et pauperes, cum sic
habeant tanquam non habentes.

Vel agimus de bonis collegiorum et de his dicitur in res-
ponsione ad 2am oppositionem

Respondet 2º. ex abundanti, ad hoc ut aliqui comprehendantur nomine mendicantium vere, et proprie non requiri ut habeant nedum actuale exercitium perfectæ paupertatis, sed neque oblig.em illius, sufficere ut tendant in actu ad illam, ut patet in novitijs aliorum mendicantium, qui certe non est nulla oblig.e tenentur, et tamen comprehenduntur in favorabilibus nom.e mendicantium, et gaudent omnibus plane illorum privilegijs, quia illi sunt intra Religionem quae est mendicans, et tendunt ad contrahendam hanc perpetuam oblig.em; multo magis aut debent comprehendi hoc nomine scholares Societatis Jesu qui contraxerunt hanc obligationem, et quidem indissolubilem, quanta est ex parte sua.

Et ex hoc cessat ratio petita ab exemplo corporis humani, in quo sunt multa membra, sed non omnia eundem actum habent; ita inquiunt ex.o scribentes in Societate esse membra etherogenea, alia quidem mendicantia, alia non mendicantia.

Exemplum enim membrorum verificatur quidem in Societate sed non quadrat ad casum nostrum. Nam in Societate sunt professi, sunt coadiutores spirituales, et coadiutores temporales, qui tres sociorum status possunt correspondere varijs membris unius corporis. Sed omnes hi conveniunt in illa strictissima paupertate ratione cuius neque possessiones, neque redditus possunt possidere, neque in particulari, neque in communi.

Ita enim habetur ex forma instituti confirmata a Paulo 3.o in Bulla Regimini militantis Ecclesiæ, ibi: cumque sciamus D. N. Jesum Christum servis suis, Regnum Dei solum inquirentibus necessaria ad victum, et vestitum esse

tributurum

subministraturum, voueant singuli, et Vniuersi per-
petuam paupertatem: declarantes, quod non solum
priuatim sed neque etiam communiter possint pro
societatis sustentatione, aut usu ad bona aliqua stabilia
aut ad prouentus, seu introitus aliquos jus aliquod
ciuile acquirere, sed sint contenti usum tantum
rerum sibi donatarum ad necessaria sibi comparanda
recipere: quae similiter habentur in confirmatione
Julij 3.ii et latius in constitutionibus p. 6. cap. 2.
n.o 10. et seqq. ubi etiam quod omnes sint ad mendi-
candum parati, et sint aliqui destinati ad petendas
elemosynas ex quibus omnes sustententur. Patet
9.o quod hi omnes uictum habent ex incerta men-
dicitate, nisi quantum aliqui eorum detinentur
ad incertum tempus in Collegijs, et Vniuersitatibus
ubi mendicare non possunt, et sic pro eo tempore
ex bonis Collegiorum, et Vniuersitatum aluntur
sine ullo tamen iure ad illa bona.

Alio modo se habet distinctio inter Nouitios scholares
et eos qui iam sunt in aliquo gradu stabili Societ.is
Haec enim distinctio ualde differt a membris
Corporis. Nam pes e.g. non ordinatur ad hoc ut
euadat unquam caput, et ideo de natura pedis
est semper exercere munera pedis, et nunquam
capitis, et propter hanc rationem censetur diuersa
naturae, et aestimabilitatis quam caput, sed si
ad nutum nostrae uoluntatis pes euadere posset
caput, et obire omnia officia capitis, in eodem
pretio haberetur pes, ac caput. At omnes
Collegiales ad nutum Superioris ingrediuntur
Societatem professam, et uitam pro[fessorum] sumunt
habitu mendicantem, quam habent etiam ipsi

et quae sufficit ad victum nostrum, sed actu mendicantem. Ergo non debent haberi in diversa aestimatione, ac illi qui degunt in domibus professis, et actu mendicant.

Non obstat 2º Societatem habere in Collegijs certos, et congruos reddit(us) ex sua institutione, quos non possunt habere mendicantes.

Respondetur enim dupliciter 1º ne mendicantibus quidem fuisse interdictos aliquas possessiones, et aliquos redditus, dummodo non sufficerent pro illorum stabili sustentatione. Huiusmodi autem sunt redditus Collegiorum, qui nec perpetui, nec stabiles sunt pro scholaribus. Hi enim possunt inde semper amoveri ad nutum Generalis, et sine dubio sunt amovendi, dum accipiunt aliquem gradum in Societate et ideo non tollunt incertitudinem, nec sufficiunt ad sustentationem. Haec enim sufficientia non debet intelligi pro aliquo particulari tempore sed provisa, vel pro statu permanenti.

Sicuti, si aliquis mendicus esset aegrotus, et tempore aegrotationis etiam longissimae, ex plurium annorum, aleretur in aliquo hospitali fundato pro alendis aegrotis, adhuc remaneret mendicus.

Item si aliquando pestis per aliquot annos in aliqua urbe, ita ut Regulares mendicantes non possent mendicare (loquor de mendicantibus ante omne privilegium habendi bona in communi) aliquis instituisset quosdam redditus ad illos alendos pro toto illo tempore, adhuc essent vere, et proprie mendicantes.

2º eidem obiectioni respondetur neque in graduatis, neque in scholaribus ullum habere dominium in bonis Collegiorum. Cum enim dominium

sit

sit libera facultas disponendi de re aliqua in usum lege non interdictum hanc liberam facultatem Societas professa, quae licet penes illam sit administratio eiusmodi bonorum tamen nihil penitus potest convertere in propriam utilitatem, vel in alium usum, quam in sustentationem eorundem Collegialium ut patet in praed.ª Bulla Pauli 3.ª Potius tamen haben.ᵒ in universalibus Collegiorum, seu Collegia habentia redditus Census, seu possessiones usibus, et necessitatibus studentium applicandas retentis penes Praepositum, et Societatem omnimoda gubernatione seu superintendentia super dicta Collegia, & victus, vestitusque eius ministrandi modum; sic tamen ut neque studentes abuti, neque Societas in proprios usus convertere possint. Quam Societas merito in hac parte assimilat tutori a Suario to: 4.º de Relig.ᵉ lib.º 4.º cap. 11. n.º 7.º quoniam tutor potest esse mendicus licet habeat administrat.ᵉᵐ bonor. pupilli quia ei non licet ex illis bonis alere se, sed pupillum et huc sectant pulchra verba D. Bonaventurae in praed.ᵃ apolog. in p.ª particula responsionis 4.ª art.ᵒ p.ᵒ Non dicimus variciter habere, quae dispensamus, tanquam aliena sed quae possidemus tanquam nostro iure mancipata

Non tamen Suarius intendit, nec potuit intendere simi: litudinem in alia parte, sicut contendunt cont.ᵒ scribentes, quod scilicet sicut pupillus non habet administrationem bonorum, et nihil differt a servo, et tamen est dominus omnium, ita scholares habeant dominium bonorum Collegij. Id enim est falsissimum, et ideo ut notat idem Suarez loco citato contrarium f

scripturae publicae, et similia, quae circa haec temporalia fieri solent, non fiunt ab ipsis Collegialibus solemni ritu in unum congregatis, quia non fiunt nomine Collegii, sed nomine Praepositi Gnalis apud quem est haec potestas. Quinimo praedicti scholares neque habent dominium in re neque in spe; non in re, quia nullum habent ius ad talia bona, nullam dispositionem, administrationem neque si euiusmodi bona dissiparentur ab administratoribus, scholares haberent ius, restitutio sibi fieret, sicut haberet pupillus contra tutorem. Ex alia parte neque habent dominium in spe, sicut pupillus habet in spe liberam administrationem suorum bonorum faciendam in propriam utilitatem. Nam quando scholares erunt graduati, nihil ex illis bonis poterunt convertere in usum proprium et ideo non dicuntur habere illa bona, Nam habere eum dicimus, qui utitur, et iure possessionis fruitur L. 2. §. habere ff. ne quid in loco publico. Nec dicit quis habere quod ex iure ab eo auferri oportet. Decian. Cons. 1° n.° 293. vol. 1° Spec. de Empt. Leg. 1° n.° 19. Sed quoniam L. stipulatio ista §. haec quoque ff. de verb. oblig. habere dupliciter accipitur, nam, et eum habere dicimus, qui rei dominus est, et eum qui Dominus quidem non est sed tenet denique habere, et apud nos depositam solemus dicere; ideo in 1° sensu nulli ex societate habent bona Collegiorum in 2.° habent quidem sed hic 2.° habendi modus nihil facit ad excludendam summam paupertatem tenere enim ut habetur d. §. haec quoque potest et servus qui sine

dubio

Dubio est pauperrimus, et mendicus
Quare dicta bona Collegij applicata magis assimilantur bonis hospitalium, uel locorum, in quibus aluntur orphani usque ad certam aetatem; quae bona neque sunt eorum in quorum utilitatem administrantur quippe qui nullum habent ius ad illa, neque administratorum, qui possunt esse et Capuccini, cum ex illis nihil conuertere possint in usum proprium et simile exemplum peti potest ex aliqua haereditate, ex cuius fructibus alendi sint pauperes arbitrio executoris, quae haereditas neque est in dominio pauperum qui aluntur, neque executoris qui illos alit, et ideo non obstat perfectissimum paupertatem. Illa enim bona in neutrorum dominio sunt, sed in patrimonio immediato Xpi, et Ecclesiae non eo tantum modo, quo caetera bona Ecclesiastica sunt in dominio Ecclesiastico alto, et iurisdictionali, ratione cuius Jurisdictionis possent eorum proprietatem uel sibi uel alteri applicare sicut Princeps ratione similis dominij alti potest sibi applicare ex iusta causa proprietatem quorundam bonorum quae possidentur a subditis, sed sunt in dominio proprietatis Ecclesiae immediate, et absque alia applicatione.
Non obstat 3.º id quod obijciunt ex eo scribentes, Homines quidem de Societate esse mendicantes, sed Collegia non esse mendicantia, decimas autem peti a Collegijs non a personis.
Respondetur enim, nomine Collegiorum uel Aduersarios intelligere praedia, et fundos, uel intelligere homines in Collegijs degentes, quatenus conficiunt unum corpus. Si intelligant primum, ut uidentur intelligere, certum est nullam rem inanimatam esse mendicantem, uel diuitem, quippe quae est incapax dominij, sed haec nomina tribuuntur Collegijs, et Conuentibus ratione hominum, qui ibi habitant, et ex eorum fructibus aluntur. Quare si Conuentus PP. Praedicatorum tribuerentur e.g. Cisterciensibus, iam ille

Gaudentes non esse exemptus inter mendicantes, nec gaudere privilegio mendicantium. Huiusmodi enim privilegia non solvendi concessa tribuuntur personis, et non praedijs, quandoquidem sunt in bonum personarum, et non praediorum, quae nullam percipiunt utilitatem ex quod ex eorum fructibus non solvuntur decimae. Dicuntur tamen privilegia realia, quia eorum effectus respicit rem ipsam solam, et non aliquam actionem personalem, neque exemptionem ab aliquo onere mixto ex re, et actione, ut v. g. est onus hospitandi milites. Cum q.[r] supra ostensum sit, ex adversarij fateantur, homines habitantes in Collegijs esse mendicantes, cum sint Collegiorum bona gaudere privilegio mendicantium. Alioquin posset dici, quod neque possessiones PP. Praedicatorum sunt mendicantes, et ideo quod mendicantium exemptione non gaudent.

Si vero nomine Collegij intelligant personas, prout facientes unum Corpus, eo modo, quo Respublica aliqua potest esse dives, licet singuli ex illa Republica sint pauperes; Respondeo oppositionem esse inanem in casu nostro. Nam ut bene advertit idem Doctissimus Bonau.[ra] in art.[o] 2.[o] resp.[nis] 4.[ae] particulae, ubi enumerans varia genera communitatis, et ostendat quibus liceat, et quibus non liceat renunciare, recenset illam per quam possidentur bona in communi, et non in particulari talibus verbis Licet in ea non includatur personalis proprietas includitur tamen proprietas Collegialis

civilis

cauasetiam quaelibet persona de Collegio particeps

ee. dignoscitur, non solum quantum ad usum, uerum

etiam quantum ad dominium, dum unusquisque eo

ipso iure actionem habet ad res Coll.ii sui recupe-

randas, et exceptionem ad defendendas, quod uere

declarat dominij rerum ipsum agentem, uel excipien-

tem aliqualiter esse participem. At scholares qui

degunt in Collegijs, neque habent eis ad usum, neque

ad actionem neque habent eis ad usum, neque ad actio-

nem, neque ad exceptionem, et idcirco seorsim, quam

simul, quia neque ut priuati neque ut constituentes Collegium

possunt dici extra classem mendicantium, et nihil habe-

tium. Quocirca conuenit illis propriissime illa

applicatio Euangelicae paupertatis, quam tradit

idem Bonauentura, q. particula 3a. collationis

art.o 8.o Ex his inquit, potest colligi Euangelicae

paupertatis ratio, scilicet quod ipsa sit uirtus

temporalium abdicatiua bonorum, qua quis nil

proprium habens sustentatur de non suo, et quoniam

dupliciter contingit rerum temporalium abdicare

dominium, dupliciter etiam sustentare de non suo,

ideo paupertatis Euangelicae duplex est modus

duplexque perfectio. Cum enim duplex sit rerum

dominium scilicet priuatum, et publicum unum

quidem spectans ad determinatam personam,

alterum uero ad determinatum Collegium, et

primum abdicari potest certe. Ergo potest

etiam 2um abdicari cum primo duplex erit. Ergo

hinc duplicem modum paupertatis perfectae

perfectio. Una uidelicet qua qui s

temporalium omnium genitam, seu personali abdicat
dominio, sustentat de non suo, id est non sibi propri
communi tamen iure cum aliis (Nota haec verba
participat, et simul possidet) alia vero, quae quis
omnium rerum abdicat dominio, tam in proprio quam
in communi, sustentat de non suo id est non sibi
proprio, sed alieno, sibi tamen ex iuste ab alio sibi
pro sustentatione collato. Quis non videt hanc 2.am pauper
tatis perfectissimam rationem convenire Scholaribus Societatis
qui non habent ius ne quidem cum aliis participatum
et simul possessum, sed in ord.e ad bona, quae dicuntur
Collegiorum similiter se habent, ac Fratres minores in ord.e
ad mobilia et ea quae usu consumuntur, quorum habent
solum usum facti manente dominio, et iure omni pen
aplicam [illegible] ut doctissime explicat idem Bonau.
in 4.o respons. 2.a parte art. 5.o

Constat 4.o omnibus de Societate convenire definitionem
et statum Mendicantium, ut pote, qui sint obliga
perpetuo ex parte sua ad strictissimam paupertatem
et ad incertam mendicitatem. Nam quamvis ali qui eorum
et quidem pauci non renunciaverint bonis patrimo
nialibus, tamen cum teneantur renunciare ad nutum
Superioris, et infra breve tempus post vota et interim
non possint de illis disponere, nisi ex consensu Supe
rioris, et quod caput est ad rem nostram, ne
obitum quidem ex illis convertere possint in
proprium usum, ac proinde habeant tanquam
non habentes, et debeant sustentari de non
suo, reliquum est ut vicem habeant ex
incerta mendicitate

Sed quoniam immemorabilis possessio, in qua sunt Mendi=
cantes in Hispania non soluendi primas ex bonis
quae propriis sumptibus excolunt, fundat praesump=
tionem privilegii et privilegia dantur in incitamentum
tantis et perfectionis, ideo haec perfecta mendicitas,
collegialium melius probari censebitur in casu, et ad
effectum de quo agitur si ostendero illas habere
totam illam perfectionem quam S. Thomas aliique
DD. agnouerunt in statu mendicantium.

Pro cuius rei probatione aduerto quod S. Thomas opusculo
17. contra retrahentes a Religionis ingressu c. 15.
cum refelleret eos qui reprehendebant nominatim
in Religionibus abrenuntiationem bonorum et com=
munium, ostendit id pertinere ad perfectionem
consilii Evangelici, quia, inquit, tanto magis ad
consiliorum perfectionem pertineat, quanto magis
hominem a sollicitudine mundi absoluunt. Idque
confirmat ex illo Lucae 14. illam emi et
necesse habeo ire, et uidere illam; et eadem
late habet opusculo 18. c. 6. Riuertis d.c. 15.
aliam rationem indicat, cum hoc sit laudabile,
dum ait ad eiusmodi detractores pertinere illud
psal. 13. consilium inopis confudistis, quoniam
Dominus spes eius est.

Duae q.e sunt praerogatiuae huius abrenuntiationis: una
altera est immunitas a sollicitudinibus Mundi
altera est spes in Dei prouidentia; utraque
perfectissime conuenit Scholaribus Societatis
qui degunt in Collegiis.

Prior quidem, quia nullam habent administrationem

imo ne notitiam quidem bonorum quae habet Collegium, et sic nullum genus dominium fundit vivere magis exemptum a sollicitudine rerum temporalium. Et quamvis haec sollicitudo sit penes superiores professos, tamen cum sit de bonis non convertendis in proprium comodum, sed in scholarium alimentum, non est sollicitudo saeculi, sed opus misericordiae, et caritatis, et ideo S. Thoma d. opusc. 18. c. 18. hoc habet. Circa quod tamen considerandum est quod dictae facultates, si hic ab aliquo possideantur, quod eorum fructus non suos faciat, sed solum dispenset, Evangelicae perfectioni non derogat. Quod confirmat exemplo fratrum minorum, qui si praeficerentur administrationi alicuius hospitalis, vel alterius pij operis, quantacumque auctoritate, dummodo non possent bona illa lucrifacere, remanerent in eodem statu Evangelicae paupertatis, et perfectionis.

Altera nempe una spes in Deo reposita sine dubio cernitur in omnibus de Societate, quia tenentur ex regula mendicare, quoties obedientia, vel necessitas exiget, nec habent in Collegijs habitationem permanentem imo nec certum pro una nocte, et quoties veniunt profiteri in Societate, vel accipere gradum Coadiutoris formati, quoties superior voluerit, debent vivere in domibus mendicis, et ex publico quaestu vivere cum sibi, cum voto nunquam consentiendi in aliquam relaxationem paupertatis, cum incapacitate succedendi etiam ab intestato, et cum obligatione ad missiones et [illegible]

etiam nulla accepta eleemo.

Quod scholares donec dant operam Literis non adeo frequenter ad eleemosynas publice quaerendas mittuntur, et uiuunt ex redditibus Collegiorum, nihil id est contrarium perfectioni, nam illa bonorum penuria et actualis mendicatio est inter eas uirtutes de quibus ait Beda super Lucae 22. Quod hunc tempore Persequutionis diuersimode mutandae. Et ideo ait, equum nihil perfectionis eclasticae Apostolis, dum illis praecepit, nunc, qui habet sacculum tollat similiter et peram, quem Euangelij locum, et Bedae Commentarium ponderat D. Thomas opusc. 18. c. 15 item D. Bonau. in d.o opusc. Pauperum art. 2.o 3.a responsion. ad p.m particulam, ostendunt non esse contra perfectionem quod actualis usus, et exercitium paupertatis in aliquibus circumstantijs id requirentibus intermittat. Cum g.o Religiosi Societatis non possint prodesse proximo secundum suum ministerium nisi Literis imbuantur et cum Literarum studium uideatur incompatibile cum occupatione publici quaestus, ideo pro illo tempore hoc exercitium ad maiorem Dei gloriam intermittitur.

Denique notanda sunt uerba eiusdem Bonau.e in fine praed.ae Apol.ae Haec idcirco diximus non quia commendemus effrenatam mendicantium multitudinem aut omnes mendicantes

modum ut perfecta exornare velimus, sed cum
Continuat, qui annexum habet studium sapientiae
Septiformis, vel laborem manualem cum
professione et observantia Evangelicae paupertatis
et exercitatione perfectae virtutis. Exigit ergo D.
Bonavae. vel studium sapientiae, vel laborem manua
lem, quod primum in Religionis longe praefertur
Cto. tum ab ipso Bonavae. tum a S. Thoma opusculo
19. Utrumque vero in Societate omnino noscitur.
De professione Evangelicae paupertatis iam dicendum est,
praeterquam quod illam per expressa verba profi
tetur Societas in duo formula confirmata a Paulo
III. in prima formula Regiminis, et certe illa
rerum omnimoda communio, et illa superfluorum
omnium rejectatio, in qua videtur consistere
exercitium illius paupertatis, quam Evangelium
commendat, nescio, an in aliqua alia communi
tate magis observari possint. Licet multae aliae
maliis Religionibus asperitates, et afflictationes
Corporis laudabiles quidem, sed quas Societas
ad maiorem Dei gloriam putavit suis non
esse de obligatione imponendas. Denique quod quaeque
et videt in Sct. in Societate tertio a Bonava
requisitum, scilicet exercitatio perfectae virtutis,
quantum humana imbecillitas patitur
Dixi